

immittunt, et ita, abrupto cujusque sacrae legis vel canonis vinculo, praecipites feruntur, quod nullam legem impositam sibi fuisse aut imponi posse, elata cervice praesumere. Haec autem omnia ita in oculis omnium patent, ut assiduis querelis regnum, principum, cleri et populi et praesertim subditorum suorum plurimum quotidie excitemur, ut ipsorum venetorum ambitum apostolicae majestatis et nostrorum contemptum, quibus se extollunt, effrenatam peccandi, et quod, libitum fuerit licitum facendi licentiam, canonica ultione comprimere ulterius non tardaremus, ne, quod ex solita benignitate nostra et hujus sanctae sedis, censura ecclesiastica illos persequi omissimus, expectantes ut resipiscerent et ad cor redirent, negligentiae nostrae aut pusillanimitati ascriberetur. Non enim Deum agnoscit ut subditus, sed subsanat ut superbus, qui in peccatis in dies magis insordescit, iterataque vulnera et ad ima usque penetrantia tardius et difficilius sanant. Dedimus omnem operam, et per bonae memoriae Antoniotum, episcopum praenestinensem, et venerabilem fratrem nostrum, Bernardinum, episcopum sabinensem, ac dilectum filium Georgium, tituli Sancti Sixti, praebiterum rothomagensensem, ipsius ecclesiae cardinales, nostros et apostolicae sedis legatos, et per intercessionem aliorum regum christianae religionis exaltationem desiderantium, et quibus potuimus mediis, ut carissimi in Christo filii nostri et reges serenissimi Maximilianus, rex romanorum, imperator electus, ac Ludovicus, rex Franciae, christianissimus, invicem concordarent et pacem inirent. Deique gratia voti nostri compotes fuimus, concordarunt et nonnullos alios etiam principes ad pacem reducerunt, gratumque nobis fuisset, quod, cum satisfactione praefatorum regum et principum, veneti ipsi, ut participes pacis recepti fuissent, sic enim jam omnes principes christianos, quod tota mente concupiscimus ad sumenda arma contra perfidos hostes fidei catholicae, et occurrendis periculis christianae religionis inducere posse confidebamus, sicut nonnulli ex eis nobis persuaserunt et se obtulerunt. Verum reges praefati, ac carissimus in Christo filius noster Aragoniae rex catholicus, nobis significarunt, securius sibi videri, imo necessarium, quod ante omnia a venetis sibi restituantur ea quae de dominiis ad eos spectantibus per illos occupantur, tum, ut debito justitiae in restitutione rerum suarum per dictos venetos eis satisfiat, tum ne ipsis regibus, ad debellandum infideles intentis, ab ipsis venetis dominia eorum vexentur et cogantur pedem retrahere, nec ulla ratione aliter ad hanc sanctam expeditionem adduci possunt; quin im-

mo nos quoque hortati sunt, ut ad recuperationem terrarum nostrarum praedictarum intenderemus, seque in ea re totis viribus coadjutores nobis affuturos obtulerunt. Nos, videntes hoc pacto et reintegratione ablatorum et justitiae singulorum et auctoritati nostrae ac hujus sanctae sedis facilius prospici et citius hanc sanctam expeditionem posse confici, etiam aduti fuimus, ut insurgere contra praefatos venetos ulterius non differamus. His igitur romanae Ecclesiae, tum in spiritualibus quam temporalibus oppressionibus, libertatis ecclesiasticae et cleri ac gregis nobis commissi delacerationibus, et lupina quadam rabie devorationibus perspectis, et per praedecessores nostros ac nos ipsos nimium tolleratis praemissisque rationibus compulsi, agnoscentes nos, divino munere, licet immeritos, Dei omnipotentis vicem in terris gerere, de cujus ore, ut Apocalipsi scribitur, gladius ex utraque parte acutus egreditur, sententia scilicet quae bonos punit, ut timore poenae emendentur et ab illicitis abstineant, ex altera vero parte malos perscindit, ut cum bonos ad cor reducerit, relinquuntur mali in conculatione et a bonis penitus tollantur, neve, exemplo venetorum, si diutius illos ita dimiserimus, et contumaciam proterviamque ipsorum dissimula-

90 verimus, caeteri etiam contemnendi et peccandi occasionem et licentiam capiant, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae Ecclesiae cardinalium consilio et assensu, contra praefatos venetos ad severitatem ultionis ecclesiasticae, nec non ad arma tam spiritualia quam temporalia, deveniendum duximus, ut vel per poenitentiam matrem suam hanc sanctam sedem apostolicam, occupata eidem restituendo, et in praemissis excessibus se corrigendo, agnoscant, vel apostolicae auctoritatis exemplo et severitate, exortes se intelligant divini misterii et Sanctae tradendos esse, ac sortem cum Datham et Abiron sortiantur, quorum consortes multiplieiter peccando se fecerunt, nemo est qui ignoret, ex praedictis criminibus, excessibus, per praefatos venetos perpetratis, constare notorie, prout et nos notorium esse, decernimus et declaramus, ducem, rogatos, generale consilium senatumque venetum eorumque officiales et cives ac alios quoscumque, quorum auctoritate, opera, jussu, consilio vel favore praedictae civitates nostrae haecenus occupatae fuerunt et occupantur praemissaque facinora contra hanc sanctam sedem, clerum et ecclesiasticam libertatem commissa fuerunt, excommunicatos et anathematizatos fuisse et esse, prout ex praedictis praedecessoribus, qui per singulos annos publicae promulgantur in die Coenae Domini, ex more praedecessorum nostrorum roma-